

§. 28. Aliter de distinctione formali sentiunt Nominales, quos *Hurtadus Arriag.* 1, *Franciscus B. Spei* aliique sequuntur; qui eam objecto ipsi planè extrinsecam esse, & tantùm in intellectu, (nullatenus, neque physicè neque intentionaliter in re ipsà) consistere putant. Concedunt quod distinctio formalis, seu, quod id in est, rationis ratiocinatæ, fundamentum aliquod in re habeat, quod ut plurimùm sunt diversa connotata, quæ objectum respiciunt, unde intellectus eandem rem jam in respectu ad hoc, jam ad illud connotatum concipit, conceptu scilicet formali inadæquato; sed negant, hinc ullam apparere diversitatem in objecto. e. g. eandem animam indivisibiliter manentem cognosco per duos actus & ad diversos effectus refero, in ordine ad quos diversas capit denominationes: ita tamen ut eodem actu, quo intellectum concipio, non solùm principium, intelligendi animo obversetur, sed tota anima, intellectus & voluntas, verùm in ordine ad actum intelligendæ concepta; & eodem actu, quo voluntatem concipio, non solùm principium volendi, sed & intellectus concipiatur; verùm in ordine ad actum volendi. Unde in ipsa animâ nulla est alietas, sed tantùm in ratione, quam de ejus potentiis formamus. Vide *Arriagam* & imprimis *Slevogtium disp.* 24. ubi horum sententiam & optimè explicat, & sequitur.

§. 29. Ita igitur diversimodè hæc formalis distinctio explicari solet. Quæ sanè res peculiari disputationi & tubacto Philosopho reservanda, unde meum hoc judicium modestè suspendo. Et perinde mihi hætenus est, quocunque modo explicetur. Si cum Thomistis eò firmiori stat talo conclusio mea; Sin verò cum Nominalibus, fortasse adhuc ictus aliquis (nam de cætero conclusio nostra ex præcedentibus fluit, unde nova argumenta non addo) excipiendus, & declinandus.

§. 30. Dices enim, si concepto intellectu, voluntatem quoque concipio, sequitur, quod non major inter illa sit distinctio, quàm illa quam Nominales adferunt, thesi 4. à nobis refutata. Unde & *Carleton disp.* 24. *sect.* 1. ait, illos, qui præcisiones objectivas negant, talem excogitasse dicendi modum, qui licet voce distinctionem præ se ferat, re tamen vera nihil minus, quàm distinctio sit. Sed facilis est responsio; Limito; si concepto intellectu, voluntatem quoque sc. formaliter concipio, sic concessa majori, nego minorem. Quamvis enim cognitio intellectus sit immediata cognitio voluntatis tamen ista cognitio formaliter voluntatem attingere non dicitur; cognosco enim tunc intellectum & voluntatem in ordine ad intellectionem, uti antea vidimus, unde isto actu volitionem, quam voluntas formaliter respicit, non attendo. Explico me ex *Slevogtio* & iisdem quibus ille, verbis finio. *Quia cognitio intellectus totam animeitatem non penetrat, cognoscendo omnes ejus actiones, sed tantum cognoscit intellectionem, à totâ entitate fluentem, ideo ea cognitio dicitur representare intellectum formaliter, non voluntatem, quia non videt volitionem in ordine ad quam formatur conceptus voluntatis. Proinde etiam non adæquatur objecto, sed inadæquatè illud representat divisum (non in se & in recto) ratione connotatorum ex quorum ignoratione oportet ignorari attributa, quæ denominantur ab illis, ut ut immediatè aliàs cognoscantur. Hætenus ille.*

Tantum.

DEO Trinuni gloria,

*Coll. diss. A. 74, misc. 21*